didæ plebis proditore Vario Sucronensi de acceptâ à Mythridate Rege pecuniâ, ut civitatem & populum proderet. Quid agit Marcus Æmilius? impavido animo se tuetur, dicens: quidnam in persona mea aliquando improbum vidistis, cùm semper apud vos fuerim? hic accusator extraneus Romano Populo non imponet Marcum Æmilium unquam Reipublicæ infidelem fuisse; cui jam credetis, accusanti vel accusato? mox Populus Romanus invidum proditorem ejecit. Hisce Consul addit: cùm infamis iste Textor talia non solùm de me, sed & de aliis Civibus, & quod caput est, de ipsa Nobilitate practicare ausus fuerit, honesto animo discutiendum relinquo, an tam peregrino Textori, aut senibus hujus Civitatis Inquilinis magìs credendum sit. His dictis Militare Tribunal concludit, Textorem torqueri debere; verùm Gubernatores planè partiales idipsum permittere nolebant à sanguinolentis corrupti, etiam scrupulum in tam laxa conscientia sibi formabant, quia Textori stipulatò appromiserant captivos sexies torquendos fore, antequam ad talem socium sors perveniret, his additis: *Tot een recompens sult gy groote Bouwhoven van de Catholycken ontfangen*; sicut postea Textor in sua confessione edixit.

CAPUT XIV.

Cælebs ille Petrus Exken capitur, torquetur miserabiliter, & planè mirabili modo liberatur.

PRogressuri igitur ulteriùs, auspicium infelicis hujus tragœdiæ incipiamus à Gubernatore, & Militari Consessu, qui interea ceperant Petrum Exken autho-

authorem hilaris Cantilenæ. Quid huic probo Cælibi contigerit, & qualia passus fuerit, videbitis ex confessione, & revocatione Xantis factâ, dum per Divinam clementiam pristinam libertatem adeptus fuerat. Negotium liberationis ejusdem taliter successit. Manus furtivas quidam miles præsidiarius miserat in lineamina strata in prato vulpensi, sive ùt vulgò dicunt *op de voospoortse Bleyck*. Hic miles in eadem tutri custoditur, quamvis jam captivatus collegas milites implorat, ne aliquod scandalum subire cogatur. Appromittunt socii auxilium, instrumenta subministrant occultè, ut effugii locus esset. Effringit ergò murum istius turris, miserum Petrum Exken taliter (ut pedibus vix aut ne vix quidem incedere posset) tortum dorso suo illigat, brachium quoddam Nirsi (ut adhuc videre est) transire cogitur, usque dum fermè mediâ horâ à Civitate pervenit ad ædes rusticales. Hic villicus commiseratione tactus eundem misellum currui imponit, & Xantos ubi Hispanicum erat præsidium perducit. Vix Sole orto mox convolant, & pleno ore evomunt hæc verba perditi isti bonorum Civium hostes hisce verbis: *Sou hee niet waer zyn, daer is all schoon een uytgebroocken.* His sequentibus paginis videbis, quâ arte & fraude, si non dicam, violentiâ homo honestus ad dicenda falsa, & quidem talia cogi possit, ut non solùm se ipsum perdere, verùm etiam per immanem torturam coactus fuerit consanguineos suos & concives in extremam calamitatem, & miseriarum abyssum demergere, Subjungam hisce veram copiam latinâ linguâ, quâ viâ cum misero Petro Exken processerint, quamvis idem tam mirabiliter à captivitate liberatus omnium per torturam expressorum mendaciorum revo-

cationem fecerit, & protestaverit se coram Domino Deo defendere non posse, si tot præclari Cives suî causâ paterentur, quia per intolerabile martyrium has falsitates eidem extorserant. Habe ergo benevole Lector epistolam Petri Exken à me ex linguâ Belgicâ in latinam translatam.

CAPUT XV.

Describitur tortura, & revocatio extorsorum mendaciorum Petri Exken Xantis facta.

INcipit igitur Petrus Exken defensionem suam hisce circumstantiis. Quartâ Martii Anno 1615. captus fui in Udem in Monasterio Canonicorum Regularium S. Augustini, & raptus in turrim quandam nominatam *Sluyters Toorn*, ab hoc loco deductus à quibusdam militibus Gochiam sedem mihi posuerunt in ferrea ista furibus præparata cavea; sextâ Martii circa horam octavam ad militare Tribunal deducor. Inprimis interrogant de Pasquillis & eorundem fabricatore, quibus Exken respondet, se de nullis pasquillis quidquam scire. Ponuntur ergo ob oculos quædam cantilenæ, rogantes: num mihi de iisdem constaret; dixi, quin imo. Interrogant, quæ sunt ergo? dixi, cantilenæ; proponunt ergo, quænam cantilenas inter & pasquillos est differentia? cui ego respondeo: cantilenas cantari, & pasquillos legi tantummodo posse. Instant ulterius, an nihil absurdi in Principem composuerim, ad quod negativè respondi, neque unquam audivi ab homine quodam aliquid inhonesti in Principem nostrum compositum fuisse. Respondent alii, de his te convince-